The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Ieronymus super Ysaiam lib. 1 (fol.76vb-77ra)

1. Omne capud languidum et cetera. animi leticia interdum corporis dolores mitigat quod si ad egrotationem corporis accedat egritudo animi duplex est infirmitas.

   Omne caput languidum, et omne cor maerens. Animi laetitia interdum dolorem corporis mitigat; quod si ad aegrotationem corporis accedat aegritudo animi, duplicatur infirmitas.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 1 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.11, ll.19-22). cf. Is. 1:5

2. Discite bene facere. Uirtus discenda est nec nature tantum bonum sufficit ad iustitiam nisi quis erudiatur congruis disciplinis.

   Discite bonum facere. Virtus ergo discenda est, nec naturae tantum bonum sufficit ad iustitiam, nisi quis erudiatur congruis disciplinis.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 1 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.19, ll.1-3). cf. Is. 1:17

3. Discenda est iusticia et magistrorum sapiencium terenda sunt limina.

   Discenda est ergo iustitia, et magistrorum sapientiae terenda sunt limina.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 1 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.19, ll.7-8).

4. Caupones tui miscent uinum aqua. pro quo symacus transtulit. uinum tuum mixtum est aqua. Omnis doctor qui austeritatem scriptuararum per quam potest audientes corripere uertit ad graciam. et ita ut non corrigat sed ut delectet audientes uinum sanctarum scripturarum uiolat atque suo corrumpit sensu.

   Caupones tui miscent uinum aqua. Pro quo Symmachus transtulit: *Vinum tuum mixtum aqua*.... Omnisque doctor qui austeritatem scripturarum per quam potest audientes corripere, uertit ad gratiam, et ita loquitur, ut non corrigat, sed delectet audientes, uinum sanctarum scripturarum uiolat atque corrumpit sensu suo.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 1 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., pp.21-2, ll.12-13, 17-21). cf. Is. 1:22

5. Omnes diligunt munera. amicicie gracia post iungende sunt quam amore pecunie. quia nec est uera que redimi potest nec os considerant amicorum sed manus. et eos sancta iudicant quorum exhauriunt marsupium.

   Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.... Nec os considerant amicorum, sed manus; et eos sanctos iudicant, quorum exhauriunt marsupium, de quibus et Ecclesiastes loquitur: *Qui diligit pecuniam, non implebitur pecunia*.

   Hieronymus Stridonensis, *Commentariorum in Esaiam libri XVIII*., 1 (CCSL 73, M. Adriaen & G. Morin, eds., p.22, ll.12, 16-18).

   (Fons nondum repertus)